conceperam tamdiu retardarint, quo minùs lucem hanc in quam modò prodeunt, citiùs aſpicerent, iuuat enim præteritorum meminiſſe nonnumquam, neque ſine grata recordatione eorum mentio fit, præſertim ſi cum amicis, beneuolis inquam Lectoribus, defæcato nunc demum, vt cum Comico loquar, animo communicentur. Anno itaque huius ſæculi vigeſimo quinto, cùm omnia quæ hoc opere continentur, ſi librum de Proportionalitatibus excipias, parata haberem, licet non ita concinnata, vt prælo ſubiici ſtatim poſſent, ſed ſumma tantùm capita, propoſitiones inquam cum demonſtrationibus ſummatim memoriæ tantum cauſſâ ſcriptas, Romam ab Admodum R.P. Generali Noſtro euocatus abij, lucubrationes meas ſolutionemque problematis de quadrando Circulo cum P. Grienbergero, eo quem dixi ſummo Mathematico collaturus: cumque per plures menſes longo ſtudio mea explicare eſſem aggreſſus, & ille ad calculos indefeſſo labore ſingula reuocaret, dimidium operis abſoluere numquam potuimus, tum quòd ea quæ Proportionalitates concernunt, necdum planè perfeciſſem, quamquam in iis nulla eſſet difficultas; tum vel maximè quòd ipſe graui & diuturno, ſæpiusque interrupto implicitus morbo, maiorem moram requireret, quàm maximorum Principum, quorum nutus imperia ſunt, preces litteræque permittebant.

In ea itaque dum Romæ incumbimus, ecce tibi binis è locis litteræ ad Admod. R. P. Generalem perferuntur, quibus Româ ad Matheſin docendum euocor; Catholici Regis Philippi vnæ, quibus Madritum mitti poſtulat; ab Auguſtiſſimo Imperatore Ferdinando alteræ, quibus me Pragam deſtinari vult. Vtrique certè Imperio obſequi cùm non poſſet admodum R.P. Generalis, huic me aſſignat, illicoque cùm res moram non ferret, eò me proficiſci iubet. Pragam vix attigeram, rurſum ſecundis litteris in Hiſpaniam euocor, iamq; aditer accingebam me, cùm ecce paralyſi ſubitò correptus morem gerere tam iuſto Regis mei deſiderio non potui: & quamquam vim ſubiti mali infregerim aliquouſque, non tam feliciter tamen eluctari potui, quin integrum quinquennium me iſthic morbi vis ingens detinuerit. Vix hoc malum euaſeram, non ita tamen quin cum morbi reliquiis toto deinceps vitæ tempore mihi fuerit decertandum; euaſeram tamen aliquouſque, paulatimque à morbo reſpirare iam cœperam, cùm alius haud paullò triſtior caſus ſcripta mea laboreſque excepit. Saxoniæ enim Dux poſt funeſtam illam cladem noſtris ad Lipſiæ muros illatam, deditione Pragam tum fortè ſuperat: victor itaque miles, & hæreticus, quod vnum ſatis erat ne nobis parceretur, in Collegium noſtrum irrumpit, diripitque miſerrimum in modum omnia: quidquid itaque breuiſſimo antè tempore aliquorum diligentiâ militum manus non euaſit, ceſſit eorum libidini, aut certè flammis, & quod incommodo mihi tum non exiguo, imò commodo fuit maximo, eâ horâ reliquiæ incendio ſecuturo ſubducebantur, quâ ego ad aram ſacrificaturus ſtabam: incommodo, quod pleroſque ingenij fœtus amiſerim, commodo certè quod eum ſaltem præ manibus haberem tunc, quem qui habet, habet omnia. Reſciuit id R.P. Rodericus de Arriaga celeberrimus hoc tempore, multis etiam exinde tomis clarus Theologus: feſtinus itaque ad cubiculum meum aduolat, ſcripta quæ in menſa expoſueram expolienda adhuc, vnà cum ſuis in currum coniicit, eaque cùm ſolertiâ ſummâ hoſtium manibus ſubduxiſſet, Viennam defert. cetera omnia quæ ciſtam integram implebant, eaque ferè erant, quæ, cùm iis vltima adhibita iam eſſet manus, prælo parabantur, prædæ aut flammis relicta, cùm tempori ſubduci non poſſent. Inter plurima quæ iſthic deperdita, liber erat quo totam Staticam Geometricè ex Archimedæis deductam principiis comprehenderam, iuſtæ ſpiſſitudinis tomo. Inerant præterea Geometrica plurima quæ tomos duos hiſce non abſimiles magnitudine expleuiſſent. Atque ita labores plurium annorum, Deo ita volente, ſuauiterq; ad maius virtutis exercitium dirigente omnia, vnico horæ quadrante deperdidi. Perdidi illa, non tamen animos, quos exinde maiores mihi ſuffecit Deus. Spoliato itaque Collegio, Viennam cum ceteris remiſſus ſum: inde ad Belgas meos, cùm Italiæ rurſus deſtinarer, redij, non eâ tamẽ valetudine qua ab iis diſceſſerã. Scripta

mea